

scius, Senatus scriba, qui tum ea, quæ ad fines Venetorum in Illyrico spectarent, curabat, Byzantium est missus, ut Reipublicæ mentem, ac servandæ cum Suleimano pacis studium Rusteno, & purpuratis testaretur. Amulius exilio multatus, postea, cum Suleimani ira resedisset, in patriam revocatus, pristinis honoribus restitutus est. Hæc mari.

Cum vero insita vel dominandi libidine, vel atroci invidia Regum pectora extimularentur, licet aperte ad bellum non descenderent, occulto non modo, verum palam multa moliebantur. Cæsar, Germanis Principibus perdomitis, gradum sibi ad monarchiam obtinendam struere nitebatur, atque ut eam amplissimorum regnum possessionem una cum Imperii titulis Philippo filio, Hispaniæ Regi, quem unicum habebat, deferret, meditabatur. Albano Duci, ut illum ex Hispaniis ad se in Belgium traduceret, mandaverat. Verum ad eam rem perficiendam, ut Ferdinandi fratris, Romanorum Regis, voluntas accederet, necesse erat, qui Maximilianum filium in spem regiæ successionis educaverat, jam tum alti animi, atque eximiæ virtutis specimen edentem; eique Carolus conjugem filiam designaverat, atque in Hispaniam mittere decreverat, ut filio absente, regni illius gubernacula susciperet. Interea Ferdinandum fratrem ingentibus promissis abortus, illi Vitembergæ principatum; Maximiliano filio Bohemiæ regnum permittebat.

At Henrici Galliarum Regis animus, quamvis rerum in Italia novandarum desiderio flagraret, ob idque socium sibi Pontificem adsciscere niteretur, Parmam juvare auxiliis adversus Carolum pollicitus; attamen, exacta jam ætate Pontifice in interitum vergente, deterrebatur, veritus, ne concordiæ ratione aliqua proposita, a Cæsare, cui affinitate jungebatur, ad suas partes traduceretur. Pontifex tot familiæ, ac sibi inflatis injuriis accensus, ad vindictam ardenti spiritu rapiebatur, Placentiamque Farnesianis erectam pati nequivat. Verum anciipi consilio modo Carolum ad eam urbem Octavio genere restituendam per nuntios incitabat; modo de foedere cum Henrico agebat, cui tanquam Caroli cupiditati propugnaculo objecto, familiam commendaret; nonnunquam eas ab Ecclesia divulsas civitates, eidem iterum adjungere meditabatur;

H. Mauroceni T.I.

Ss

ali-

1548  
 Marcus  
 Antonius  
 Franciscius  
 Senatus  
 scriba; By-  
 zantium  
 mittitur.  
 Laurentius  
 Amulius  
 exilio mul-  
 etatur, &  
 postea revo-  
 catur.  
 Cæsar Phi-  
 lippum fi-  
 lium in Bel-  
 gium accer-  
 fit.

Cæsar ad  
 Ferdinandum Regem  
 pollicita, ut  
 Imperium  
 Philippo  
 concederet.